



*RR. Adm. Patribus Provincialibus, Magistris, Prioribus, Rectoribus, Præsidentibus, necnon Religiosis omnibus Ordinis Prædicatorum Provincialium Hispaniarum, et Indiarum.*

## NOS FR. JOACHIMUS BRIZ,

Sacræ Theologiæ Professor et Doctor, humilis ejusdem Ordinis Magister Generalis et servus, Hispaniarum Primæ Classis Optimas, &c., &c., salutem.

**I**nclytum Prædicatorum Ordinem, sub Romani Pontificis, et Romanæ Ecclesiæ, tam in spiritualibus quam temporalibus, gubernatione, protectione, et immediata subjectione, absque ullo medio, ortum, et usque ad hodiernum diem mirabiliter propagatum, nedum laudibus ornarunt præcipuis, ab Honorio III. usque ad Gregorium XVI. feliciter regnantem Romani Pontifices in suis plusquam tercentum Apostolicis Constitutionibus; sed et privilegiis, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis propemodum infinitis, ab iisdem concessis, roboratis, et tandem à Benedicto Papa XIII. confirmatis, ejusdem Ordinis Generalem Magistrum ita locupletarunt, ut merito Regii Psaltes verba desumentes, de Apostolicæ Sedis erga Prædicatorum Ordinem charitate nimia dicere valeamus: *non fecit taliter omni Cænobitico Ordini.*

Inter privilegia autem majoris momenti, ejusdem Ordinis Magistro Generali concessa à Summis Pontificibus Sancto Pio V., die XVII. Junii MDLXVI. *Cum sicut accepimus*; Julio II. die XIV. Decembris MDIX. *Considerantes*; Julio III. die XVII. Januarii MDLV. *Exponi nodis*; Urbano VIII. die IV. Junii MDCXXIX. *Cum sicut*, aliisque non paucis, illud certe enumerare debemus, quo Eidem pro tempore facultatem indulserunt Apostolica auctoritate interpretandi ac declarandi nedum ambiguitates in ejusdem Ordinis Constitutionibus ac statutis contentas; sed etiam omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, aliasque gratias ab ipsa Sancta Sede concessa, aut concedenda, concessasve, aut concedendas eidem Ordini, tam in genere, quam in specie, et singulis illius fratribus, et personis ubilibet existentibus.

Hujusmodi potestatis plenitudinem præ oculis habentes sapientissimi Patres nostri in Comitibus generalibus Romæ celebratis anno MDCLVI. in Declaratione V. sic universo Ordini edixerunt. «Cum Magister Ordinis, præter eam  
» auctoritatem, quæ sibi ordinaria est, et ex vi Sacrarum Constitutionum,  
» aut jure communi, competit, quamplurimas insuper facultates habeat, sibi,  
» suoque officio delegatas, et à Sancta Sede Apostolica successivè indultas; ideo  
» ad supervacaneum quorundam scrupulum removendum, *Declaramus*, quod  
» quotiescumque in Patentibus, aut Rescriptis Magistri Ordinis ponitur *Aucto-*  
» *ritate officii nostri*, aut alia huic æquivalens clausula, censeatur illa com-  
» plecti tum ordinariam, tum aliam quamlibet officio delegatam auctoritatem,  
» siquidem ista hoc ipso in ordinariam transisse videatur. Unde non est sub-  
» ditorum disquirere, ultra harum duarum auctoritatum Magister Ordinis hoc

» illudve statuatur, vel prohibeat in suis litteris; sed sufficit omnium securitati  
» modestè supponere, quod dum Magister Ordinis tale quid ordinat, vetat,  
» aut declarat, alterutram istarum auctoritatum habeat, et adhibeat; sicque  
» eidem et simpliciter credendum, et humiliter, devoteque parendum est. Ubi  
» vero in hujusmodi litteris determinate allegatur auctoritas Apostolica, nun-  
» quam subdito fas erit hanc in dubium revocare, tametsi expresse, ac indivi-  
» dualiter non citetur Diploma, aut Breve, quo illa Magistro Ordinis fuerit  
» concessa. Qui secus fecerit, aut attentarit, veluti reus violatæ obedientiæ, ac  
» reverentiæ Summo Ordinis Capiti debitæ, ipso facto pœnam gravioris culpæ  
» incurrat, à qua non nisi per Capitulum generale, vel Magistrum Ordinis va-  
» leat liberari." Cui quidem splendidissimo totius Ordinis testimonio pro asse-  
» renda summa, imo et extraordinaria Magistri Ordinis auctoritate, respondet  
» Capitulum Generale, Romæ pariter celebratum anno MDCLXX. in quo di-  
» sertis verbis in Declaratione XI. ab universis Patribus conclamatum fuit, quod  
» *Ad limitandam auctoritatem Magistri Ordinis, nec Capitulum Generale, nec*  
» *Generalissimum sufficient.*

His ita constitutis, ad rem nostram propius accedamus. Constitutiones Or-  
» dinis Dist. 2.<sup>a</sup>, Cap. IV., §. II. sic statuunt: "Mortuo igitur Magistro, vel amoto  
» à Magisterio, Prior Provincialis illius Provinciæ, ubi sequens Capitulum fue-  
» rit celebrandum, vices Magistri Ordinis in omnibus obtineat, quousque Ma-  
» gister Ordinis sit electus; exceptis absolutionibus Priorum Provincialium, et  
» Priorum Conventualium aliarum Provinciarum, et exceptis translationibus  
» fratrum de una Provincia ad aliam, de quibus se nullatenus intromittat,  
» nisi forte aliquis frater, non Prior Provincialis existens, pro Provincialatus  
» Officio peteretur. Si autem illa Provincia tunc Priorem Provinciale non ha-  
» buerit, vel infra tempus Vicariæ suæ eum mori, vel amoveri contigerit, Prior  
» Provincialis illius Provinciæ, ubi immediate præcedens generale Capitulum  
» fuerit celebratum, vices obtineat supradictas; et sic deinceps retrocedendo,  
» donec in aliqua Provinciarum isto modo valeat Vicarius inveniri."

Quæ in Apostolica Piana Constitutione *Inter graviores* statuta reperiun-  
» tur pro casu obitûs, seu promotionis tam Generalis Magistri, quam Vicarii  
» Generalis durante eorum munere sexennali ibidem stabilito, nihil ad rem  
» attinent pro præsentis casu, postquam die XXIX. Julii anni proxime elapsi fi-  
» nem habuit nostri muneris sexennium; ac proinde nemo sit eligendus ad  
» illud complendum, utpote à Nobis jam absolutum. Standum ergo videtur  
» legibus ab Ordine præscriptis pro persona designanda, quæ, Nobis à SSmo.  
» Domino nostro Gregorio Papa XVI. in Consistorio ad Episcopatum Segovien-  
» sem pronunciatis, ac Bullas ad manus nostras pervenientes legaliter acceptan-  
» tibus (uti declaravit Capitulum Generale Romæ anno MDCLVI. Decl. IX.),  
» à supremo munere, quod prorogatum gerimus, solutis, ac liberatis; vices  
» nostras, seu Vicarii Generalis in omnibus obtineat, quousque Vicarius Ge-  
» neralis, juxta præsentem alternativam, sit electus.

Et ecce, charissimi Patres, gravissimam ex ambiguitatibus nostrarum  
» Constitutionum, cujus interpretandæ, ac declarandæ facultatem Apostolica  
» auctoritate nedum Summi Pontifices supra memorati, sed ipsæ etiam Ordi-  
» nis Constitutiones in ipsarum Prologo, Textu VIII., et Dist. 2. Cap. IX. §. 7.  
» lit. F. Magistro Ordinis indulserunt. Ne igitur, advenientibus forsitan propediem  
» Litteris Apostolicis de præconizatione ad prædictum Episcopatum Segovien-  
» sem, Ordo acephalus remaneat, atque sine capite existens aliquod damnum  
» patiatur, remanentibus maxime apud nos in suo robore dubiis, ac difficulta-  
» tibus circa Pianam Apostolicam Constitutionem *Inter graviores* à Rege No-  
» stro clementissimo Summo Pontifici propositis, quin eorundem declaratio-

nes, tamdiu expetitas, Rex ipse, prout de jure, usque ad præsens ad nos transmiserit, imo, nec advenerint; necne, nobis saltem aperuerit; cumque pariter, exclusis Provincialibus exterarum Provinciarum per Apostolicam Constitutionem supra laudatam, ultimum Generale Capitulum Valentia Edetanorum in Hispaniis celebratum fuerit anno MDCXLVII; ac tandem perpensis in re tanti momenti gravissimorum aliquot nedum Ordinis, sed extra etiam, virorum sententiis: Quapropter, harum serie, nostrique auctoritate Officii, Apostolica supradicta auctoritate DECLARAMUS, Provinciale Provincie Aragonie, Nobis à munere Generalatus prorogato cessantibus, vices nostras, seu Vicarii Generalis in omnibus obtinere debere, quousque, Declarationibus supramemoratis, Ordini, seu ejus Præsidi à Rege nostro pietissimo significatis, Vicarius Generalis, juxta alternativam à prædicta Apostolica Piana Constitutione stabilitam, sit electus: nisi aliter, à SSmo. Domino nostro in prædictis Declarationibus, seu aliàs, provisum fuerit. Volumus autem, ordinamus, et mandamus, ut hujusmodi nostra Declaratio Apostolica auctoritate facta, non solum doctrinalis, sed etiam judicialis in foro externo habeatur, conscientiarum vestrarum serenitate id jure meritoque exigente, ut lites, si quæ oriri contigerit, omnino dirimantur: Volumus insuper, ordinamus pariter, et mandamus RR. admodum Patribus Provincialibus, ut eandem Declarationem in omnibus nostræ curæ subjectis Conventibus subito publicari curent, et ab omnibus observari sub pœnis in prædicto Generali Capitulo Romæ MDCLVI. Declaratione V contra inobedientes, ac summo Ordinis Capiti deditam reverentiam non habentes, latis, ac solemniter inflictis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque, &c. In quorum fidem, &c. Datis in Regali Nostro Prædicatorum Cæsaraugustano Cœnobio die XV. mensis Februarii, Beato Jordano antecessori nostro præclarissimo, sacro, anni MDCCCXXXII.

*Fr. Joachimus Briz,*

Mag. Ordinis.



Reg. pag. 70.

*Fr. Vincentius Sopena,*

Magister, Procurator Generalis Ordinis, Provincialis Terræ Sanctæ, et Socius.



*Certifico haverse leído la Simula q. antecede a  
blica Comunidad a la hora de prima en este Convento  
de S. Benito Abad de la Orator, hoy 17 de Abril de 18*

*Fr. Domingo Antón  
Notario*

Certifico haberse celebrado esta Circular tan to en este Com. Ven. de  
San Pedro telmo del Puer todo la Orotaba como en el de Melijiosa  
de mud. tan O. de. Del mismo pueblo y lo firmo: J. Mamon. Sorio  
/ en 15 de Abril de 1832 /

Certifico haberse leído la circular de antecede a la  
de prima en este conyto y estudio de Sr. Miguel  
Palma y Monasterio de Matana hoy 30 Mayo  
1832  
D. Domingo de Lima  
Leita de gran Notario